



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

VIII. Explicatur octavum decalogi præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

Tertia est, inopia seu necessitas, cum scilicet quis aut nullo modo habet unde restituat, aut si aliquid habet quod restituat, eo tamen indiget ad sublevandam suam necessitatem vel extremam (de qua omnes conveniunt) vel etiam gravem; ita ut, si restituat, status sui decentiam nulla ratione conservare possit. dummodo tamen status ille sit honeste & iuste acquisitus, & creditor æque gravi necessitate non urgeatur. Ita S. Ant. Nav. Sot. & plures alii apud Valent. Sup. pu. 7. Quod si utriusque necessitas esset extrema, posset debitor sibi potius quam creditori consuleri, ut iidem Doctores sentiunt; in extrema enim necessitate qualiscunque res desinit esse alicuius propria, sed sit communis.

Quarta denique causa excusans à restitutione est damnum grave, quod debitor in rebus propriis incurret, ut in vita, libertate, fama, vel in distractione possessionum suarum vili pretio facienda; dummodo tamen creditor simile damnum non patiat, Ita præfati authores, qui rectè observant in proposito subiecto non esse reputandum magnum damnum, quod quis multum debens carebit magna pecuniæ summa, si debitum reddat; aut magno lucro, quod ex ea pecunia posset acquirere; neque etiam cuiuscunque famæ jacturam excusare à restitutione, sed tantummodo illius, quæ viri prudentis ac pii iudicio consideratis omnibus circumstantiis pluris æstimanda censeretur, quàm commodum quod ipsa restitutio afferret creditori.

SECTIO VIII.

Explicatur octavum Decalogi præceptum.

**Non loqueris contra proximum tuum
falsum testimonium.**

Hoc præcepto prohibetur, non solum iniustitia, quæ per falsum testimoniū aut alia quavis ratione in iudicia.

judicialibus actibus contra proximum committitur; sed etiam ea, quæ extra iudiciales actus per detractionem, contumeliam, iudicium temerarium eidem proximo irrogatur, ut explicant illud Nav. c. 18. n. r. Bonac. in præf. disp. 10. de hoc decalogi præcepto, & plures alii Theologi: quæ quidem iniustitia, quoniam ut plurimum cum mendacio solet coniungi, idcirco primum de illo agemus; tum de iniustitia, quæ in actibus iudicialibus tam ex parte iudicis, quam accusatoris, testis, & rei committi potest; ac demum de aliis iniuriis, quæ extra iudicium proximo per detractiones, contumelias, & iudicia temeraria inferuntur.

§. I.

De Mendacio.

MENDACIUM (ut docet S. Aug. lib. 1. cont. mendac. c. 42) est *Enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata*; & c. 22. Enchir. dicit, quod ille mentitur, qui contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Unde secundum eius mentem duo ad rationem mendacii requiruntur, scilicet voluntas fallendi seu falsum enunciandi, & locutio seu enunciatio vel significatio aliqua exterior, mentis iudicio contraria.

Fuit autem sententia quorundam antiquorum (ut videre est apud Cassianum Coll. 17. c. 8) mendacium aliquando non modo licitum, sed etiam necessarium esse; *illud, notandum esse tanquam Elleboro, quod sumitur irminente aliquo exitiali morbo*. Veram hæc sententia tanquam erronea & sacrae scripturae contraria refutata est à S. Aug. lib. 1. cont. mendacium c. 5. & seq. & ab Innocentio III. cap. Superior, de u-fura, ubi dicit *Scripturam sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur*.

Ex quo sequitur omne mendacium esse intrinsecè malum, ac proinde peccatum, quando formalis ratio mendacii in eo reperitur. Duplex est enim falsitas (ut rectè observat S. Doct. 22. q. 110. a. 5.) alia materialis solummodo, quæ dicit esse *præter intentionem loquentis*; quando scilicet aliquis

falsum
Enchir.
pro est, n
lo quis
asserat
ra falsum
existat:
illa quar
tus, in
falsitatem
th. men
quando v
averatu
secundum
quod præ
aliquo
secundum
ravum fi
famam
am eius
mendacii
Venial
que De
doctur su
iocoso
mendacio
quod
sunt g
tamen n
falendo
dinet t
osum v
esse per
ulare pe
daciū

falsum

falsum dicit putans esse verum, qui (ut ait S. Aug. Cap. 18. Enchir.) *iudicandum non est mentiri; quoniam, quantum in ipso est, non fallit ike, sed fallitur.* Alia vero formalis; quando quis ex intentione fallendi aliquid tanquam verum asseverat, quod existimat esse falsum; sive id revera falsum sit, sive contra eius opinionem verum existat; quia (ut dicit S. Doctor) quidquid sit de re illa quam asseverat, etiamsi de facto vera sit, *actus tamen, in quantum est voluntarius & moralis, habet per se delictum, & per accidens veritatem.* Decet autem idem S. Doctor mendacium esse aliquando mortale peccatum; aliquando vero veniale: mortale quidem, quando charitati contrariatur; quod dupliciter contingere potest; uno modo secundum se, quando ex falsa significatione grave aliquod præiudicium in divinum honorem derivatur, vel grave aliquod nocuummentum proximo inferatur; alio modo secundum finem intentum; quando scilicet in aliquem gravum finem dirigitur, v. g. si quis mentiatur, ut proximo famam graviter lædat, vel ut notabile aliquod damnum eius fortunis inferat. & utroque isto modo dicitur mendacium perniciosum.

Veniale autem, quando ex ratione sui aut finis intenti neque Dei neque proximi charitati contrariatur, quod S. Doctor sup. contingere ait dupliciter; scilicet in mendacium iocoso, in quo levis aliqua delectatio intenditur; & in mendacium officioso, in quo utilitas aliqua proximi spectatur: quod etiam docuit S. Aug. supra. *Psalms. his verbis: sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut proximo fallendo mentimur.*

Monet tamen rectè S. Doctor sup. mendacium eiusmodi iocofum vel officiosum, licet ex se non sit nisi veniale, esse per accidens fieri mortale ratione scandali quod inferre potest: ut si quis vir Deo facer coram aliis mendacium iocofum tale proferat, ex quo aliqui desumant gravis alicuius scandali

occasione.

§. II.

*De iis quæ ad processum iudicalem spectant,
ac primo de iudice.*

QVATVOR sunt præcipuæ conditiones ad hoc requisitæ, ut quis officio iudicis ritè fungatur; de quibus agit S. Doctor quæst. 67. art. 1. & seq.

Prima est, ut habeat legitimam iudicandi potestatem quæ quadruplex est, ut observat Tol. 1. 4. c. 56. una ordinaria, quæ ipsi competit ratione officij; altera delegata quæ est ex commissione ordinarij; tertia arbitraria, quæ est eius, qui ex consensu partium in iudicem eligitur; quarta denique accessoria, quam quis habet in eum, qui licet sibi subditus non sit, delectum tamen commisit intra limites suæ iurisdictionis.

Qui autem absque potestate legitima se in officium iudicis ingerit, mortalis peccati reatum incurrit; & obligatur ad restitutionem dampni, si quod ex illius illegitima potestatis usu sequatur, ut docet Tol. ibid.

Secunda conditio est, ut iudicet secundum veritatem quæ (ut declarat S. Doctor) innotescit illi, tam ingenuè tali per leges divinas ac humanas, quas idcirco optime callere debet, ne si earum labore ignorantia, (quæ in illo nullatenus excusari potest) aliquid decernat ipsi legibus contrarium, ac proinde iniquum: quam in particularibus instrumenta, testes, aliaque similia documenta, quæ (ut monet S. Doctor sup.) sequi magis in iudicando debent, quam id quod ipse tanquam privata persona novit; ex quo tamen iuvari potest ad probationes inductas accurate discutendas, ut possit earum defectum investigare.

Est autem controversum inter Theologos, an iudex reus neatur secundum allegata & probata ferre sententiam; ut ut condènare debeat illū, quem ex privata scientia certo scit esse innocentem; Varia sunt super hac re illorum sententiæ; alij siquidem existimant nunquam licere iudicari

ne in causis quidem civilibus, contra veritatem sibi etiam privatim notam iudicare: alii ad solas criminales causas id restringunt: alii verò è contrà in omnibus tamcivilibus quam criminalibus iudicem probationes publicas sequi debere asserunt: quorum sententia cæteris probabilior eo præsertim nomine censeri debet, quod illi S. Doctor sup. a. 2. aperte subscribit, & post illum plurimi alii magni nominis Theologi quos citat & sequitur Valentia disp. 5. q. 11. de iud. pu. 2. quibus accedit authoritas S. Ambr. qui super illa Psal. 118. verba: *Miserationes tuæ multa nimis, sic loquitur: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronunciat: statuti iuris obtemperat; non indulget propria voluntati; nihil paratum & meditatam domo refert; sed sicut audit, ita iudicat.*

Quid igitur, (dicit aliquis) faciet iudex in eo casu, in quo certo scit innocentem aliquem falso accusari, & falsis testimoniis, ac probationibus de crimine aliquo convinci; Resp. in tali casu iudicem teneri ad faciendum quicquid potest citra populi scandalum, ut sententia contra innocentem non teratur, v. g. impediendo accusationem, protrahendo iudicium, aperiendo carceres, testes ipsos per varia intervalla pluries interrogando, ab iisque separatim circumstantias loci, temporis, personarum distinctius inquirendo, ut ex illa inquisitione testimonium illorum falsitatis convincere possit. Quod si hæc & similia ad innocentis iustificationem nihil proficiant, sicut non potest ipsum innocentem absolovere, quamdiu is secundum Publicas probationes nocens apparet; sic etiam illum quantumvis probationibus illis convictum mortem iudicare, aut condemnare nunquam debet, si eius innocentiam privatim perspectam habeat; quare vel causam remittere debet ad iudicem superiorem, si ipse sit in ferio; ac deposita iudicis persona officium testis assumere apud illum, si hac ratione putet innocentem posse liberari vel quavis alia ratione ab hoc iudicio abstinere: imò etiam potius officium iudicis dimittere, quam innocentis condemnationi subscribere: cum vitam innocenti ad-

z

mere

mere, sit intrinsicè malum, quod proinde nunquam facere licitum est. Ita Panorm. Hostiensis, & plures alii, quocitat & sequitur Less. c. 29. dub. 10.

Tertia conditio est, ut in iudicando formam à jure & legibus præscriptam servet; ac in civilibus quidem causis procedere non solet nisi postulatus: quin & tunc operam dare debet, ut si fieri possit, partes ad concordiam revocentur: qua ratione l. *quidam* ff. de rebus creditis dicitur quod *Ad officium iudicis pertinet lites diminuerè.*

In criminalibus autem causis duobus modis procedere potest, vel ad petitionem partis seu instantiam accusatoris, ut paragr. seq. dicitur, vel deficiente accusatore, per viam inquisitionis. Quamvis autem (ut ex comuni Theologorum sententia docet Less. sup. dub. 13.) ad inquisitionem generalem faciendam nulla requiratur præcedens personæ vel delicti infamia, cum in jure præcipiatur Ecclesiasticis, prælatis & superioribus, ut suo tempore faciât visitationes & inquisitiones generales, ut habetur ex cap. *Perniciosas*, 1. de officio iudicis; ad inquirendum tamen contra aliquem particularem requiritur, ut illius infamia aliqua præcesserit, ut habet ex cap. *Inquisitioni* & cap. *qualiter*, 2. de accusatione; hæc enim infamia (ut ait S. Doctor sup. ad 2. accusatoris vicem supplet.

Observat tamen Laym. lib. 3. de just. tra. 6. c. 2. præter infamiam, alia interdum suppetere posse indicia, ex quibus iudices præsertim sæculares, boni publici causa movere solent ad inquirendum, & procedendum contra criminosos, ne, si crimina remaneant impunita, majorem alii familia patranda audaciam tribuant: quod quidem licitum esse docet Less. sup. dub. 15. si circumspèctè & secundum leges aut consuetudines receptas in furtis, homicidiis, aliisque criminibus reipublicæ perniciosis id fiat.

Hæc autem iudicia ex una parte tantò majora requiruntur ad inquirendum de persona aliqua, quanto infigniori dignitate præfulget, ut constat ex can. 1. qu. 5. & ex cap. *qualiter* & *quando*, 2. de accusationibus; ex altera vero parte tantò leviora plerumque, sufficiunt, quanto perni-

cliosius crimē est, de quo iudex debet inquirere; quale est proditio, hæresis, lætrociniū publicum, &c. quæ fufius explicata videri possunt apud eundem Laym. suprà.

Quarta deniq; conditio est, ut in exequenda sententia à se iuste lata, firmus sit & constans; nec ullo favore, timore, aut respectu humano se flecti sinat: unde Eccl. 7. dicitur: *Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitate, ne forte extimescas faciem potentis.*

Quæret aliquis, num iudex pœnam à jure decretam licite relaxare possit. Resp. 1. nunquam id licitum esse si sit contra publicam utilitatem, ut docet S. Th. sup. 2. 4. unde Deut. 13. dicitur de illo, qui seducit alios, & ad idololatriam inducit: *Non parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum; sed statim interficies.* Resp. 2. ex eodem S. Doctore hanc esse differentiam inter iudices superiores & supremum iudicem seu principem, cui plenarie potestas publica commissa est; quod inferior semper teneatur sententiam ferre secundum jura, illamq; exequi, non modò cum is qui damnatus est id postulat, sed etiam quamvis à tali postulatione desistat, sibiq; satisfactum esse dicat: licet viam appellationis denegare non debeat, nisi in casibus à jure expressis. Supremus autem iudex seu princeps, si is qui passus est injuriam velit eam remittere, poterit reum eximere à pœna, si hoc publicæ utilitati conducere, aut saltem minimè nocere perspexerit: quod si læsus nolit injuriam remittere, poterit nihilominus princeps satisfactione debita erga ipsum læsum injunctam pœnam à jure decretam relaxare, vel in aliam leviolem commutare: quod tamen non nisi rarissimè facere debet, & ob causas tales, quæ illum apud summum omnium iudicem Deum, ab omni culpa immunem reddere possint.

§. III.

De Accusatore.

DVO præsertim quæri possunt: primum est, quis accusare teneatur: secundum, quomodo in accusatione se gerere debeat, Z z Quod

Quod spectat ad primum, observandum est ex communi Doctorum consensu duplicem esse viam in iure expressam (ut habetur ex cap. *super his* extra de accusationibus) quæ crimen aliquod ad publicam potestatem deferri potest, denuntiationis scilicet, & accusationis, quæ in eo differunt, quod accusatori incumbat onus probandi criminis, non item denunciatori, sed solum aperiendi iudicia, quibus iudex ex officio moveri possit ad ulteriorem inquisitionem. Rursus denunciatio dupliciter fieri potest, vel charitative, cum quis admonitione privata præmissa nec secuta proximi emendatione peccatum eius defert ad superiorem tanquam ad patrem, ut efficacius remedium adhibeat, iuxta illud Christi Domini *S. Matth. 81, quod si non audierit eos, dic Ecclesie*: vel iudicialiter, cum quis ad vindictam & punitionem criminum ob bonum publicum denunciatur illa superiori tanquam iudici.

Hac observatione præmissa, docet S. Thomas eum, qui crimen aliquod reipublice maxime perniciosum, qualis est hæresis, proditiōis, falsæ monetæ, &c. certo cognoscitur, ac probare potest, teneri ad criminofum accusandum, aut saltem iudicialiter denunciandum.

Quod si tale crimen iam emendatum sit, isque qui illud perpetravit de eo poenituit, & ad meliorem frugem se recepit, tunc nullam amplius remanere accusandi aut denunciandi obligationem docet Tolet. lib. 5. c. 57. nisi forte quis de illo iuridice interrogetur: tunc enim verum respondere tenebitur.

In aliis autem criminibus, quæ non vergunt in detrimentum reipublicæ, nulla est obligatio instituendæ accusationis, aut iudicialis denuntiationis, sed tantum fraternæ correctionis, ut ex S. Doctore probat Valentia disp. 5. q. 12. de accus. pu. 1.

Excipit tamen Tolet. supra, crimen illud, ex quo grave nocumentum personæ alicui immineret; ut si quis sciret alteri parari insidias in quibus eius vita periclitatur: tunc enim, si via correctionis fraternæ id impedire non potest, denunciare debet iudici, aut admonere illum in quem

struunt
quis sit
charitat
Clericos
latio inf
sed tant
tione.
mortem
Quod
tio fieri
peccetu
hem ex
calumni
quiri pra
non vere
Quam
secretan
ant den
tam sit
tione fi
tione n
nec prof
mittend
contra b
sine ulla
L. c. 3
& alii co
Obs
cultum
iustitia
judicia
test que
aliud, q
duos ca
men oc
mus est
nem, il

circumventur insidiæ, ut sibi caveat; non tamen illi aperire. quis sit ille, à quo sibi cavere debet; ne aperiendo, contra charitatem peccet. Rectè etiam idem Toletus monet, Clericos in causis criminalibus, ob quas mors aut mutilatio infligi potest, non posse accusatoris partes suscipere; sed tantùm denunciare juridicè, præmissa tamen protestatione, quòd illius, cujus crimen ab ipsis defertur, neque mortem neque mutilationem intendat.

Quod spectat ad modum, quò accusatio vel denunciatio fieri debet, ut neq; contra justitiã neq; contra charitatẽ peccetur; docet S. Th. art. 3. accusationem seu denunciationem ex omni parte debere esse justam, ita ut nullus in ea calumniæ, pravaricationi, aut tergiversationi locus sit: requiri præterea ut ex intentione justa & recta procedat, non vero odio, ira, aut alio simili pravo affectu.

Quamvis autem nullus ex justitia teneatur præmittere secretam & fraternam correctionem ante accusationem; aut denunciationem; tenetur tamen ex charitate, si delictum sit occultum, sitq; spes aliqua reum ejusmodi correctione fraterna esse emendandum, & ad debitam satisfactionem inducendum; si tamen nulla sit ejusmodi spes, nec profectura censeatur admonitio; tunc ad illam præmittendam nulla est obligatio: imò quando crimen est contra bonum publicum, urgetq; illius periculum; tunc sine ulla mora publicæ potestati denunciandum est. Ita Less. c. 30. dub. 2. Tol. lib. 5. c. 57. Bonac. disp. 10. qu. 3. pu. 1. & alii communiter.

Observat tamen Less. c. 29. dub. 13. quando crimen occultum est, nec ullo modo probari potest, tunc fore contra justitiã illud per viam accusationis, aut denunciationis judicialis aperire: cum enim probari non possit, non potest quoq; puniri; proindeq; ex ejus manifestatione nihil aliud, quàm alterius infamia sequi potest. Excipit tamen duos casus in quibus licitum est patefacere superiori crimen occultum alterius, quamvis probari non possit. Primus est, quando id conducere existimatur ad emendationem, illius, qui crimen ejusmodi comisit; tunc superiori,

Z 3 non

non quidem ut iudici, sed ut patri manifestare potest, praemissa tamen admonitione fraterna ut supra dictum est: Alter est, quando ex occulto illo crimine grave aliquod malum spirituale vel temporale imminet, quod non nisi superioris potentia, vel autoritate averti potest.

§. IV.

De Testibus.

CERTVM est testem interrogatum à iudice secundum ordinem juris supra explicatum paragr. 2. obligatum ferendum testimonium, & ad declarandum crimen quod ab altero commissum esse cognoscit. Ita S. Doctor 70. a. 1. & cum illo communiter omnes

Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus est, si quis crimen ex sola confessione Sacramentali cognoscatur: tunc enim nullatenus illud unquam declarare debet, ut expressè docet S. Th. resp. ad 1. & satis constat ex illis, quae in tractatu praecedenti cap. 5. dicta sunt.

Secundus est, quando in causis criminalibus, in quibus mortis, vel mutilationis sententia infligenda censetur, testimonium ferendum est: ad illud enim Clerici non tenentur; imò nec testimonium in eiusmodi causis ferunt, ut docet S. Th. sup. ad 3.

Tertius est, si crimen suum quis alteri sub secreto declaravit consilii vel auxilii petendi causa ad salutem propriam spirituales aut corporales, ut fieri solet medicis, advocato, obstetrici, &c. tunc enim nullus arcanum fidei commissum declarare tenetur, nisi forte criminis solius testificatio necessaria sit ad aliquod grave damnum publicum, vel privatum avertendum: tunc enim promissio secreti, etiam juramento confirmata, non obligat, cum nullum juramentum promissorium cedens in damnum iniustum alterius obliget; proindeque is, qui crimen eiusmodi novit, tenetur illud interroganti iudici patefacere. Ita S. Doctor in resp. ad 2. & post illum Less. sup. c. 3. d. ab. 4. Quat

Quartus est, si quando iudex procedit per viam inquisitionis generalis ad cognoscenda & punienda crimina, tunc enim si quis ab illo interrogetur, v. g. utrum in tali loco sint aliqui adulteri, incestuosi, &c. non tenetur, imò non debet adulterium, aut incestum alicuius patefacere, si omnino non sit occultum, ut patet ex cap. *qualiter & quando*, 2. de accusationibus, & docet Sylv. & plures alii apud Lessium sup.

Quæres quid igitur faciet testis in casibus supra relatis, si à iudice iuramento interposito (ut semper fit) compellatur ad interrogata respondere: si enim verum dicat, peccabit contra charitatem, imò contra religionem, & sigillam confessionis, si manifestet peccatum aliquod in confessione declaratum; si autem neget id quod verum esse cognovit, mendacii imò periurii reatum incurret.

Facilis est aliquorum responsio, testem in casibus illis à testimonio ferendo abstinere debere; & si à iudice urgeatur, declarare se iusta aliqua ratione impediri, quominus id facere possit: sed quid si à iudice his non obstantibus cogatur ad veritatem patefaciendam, quid in illis angustiis faciet? perplexa est haud dubie & difficilis hæc quaestio, cuius solutio, qualiscunque afferatur, facilius carpi & argui poterit, quàm prout ad conscientiarum levamen expedit, explicari; ne tamen lectorem ambiguum & hærentem relinquamus, tria breviter hic proponimus ex communi, & recepta probatorum authorum doctrina.

Primum est quòd, quotiescumque quis sive testis, sive reus secundum ordinem iuris à iudice, vel superiore, sive Ecclesiastico, sive laico interrogatur de aliqua re, quam sine ullo peccato declarare potest; tunc candidè ac sincerè & seclusa omni ambiguitate vel restrictione mentali secundum mentem interrogantis respondere tenetur: quamvis enim multi Doctores existiment reum non esse obligatum confiteri crimen morte vel mutilatione dignum, quod alias scit plenè probari non posse, ut Angel. Sylv. Armilla verbo (*Delicti confessio*) Rosella verbo (*Accusatus*) Panormit. cap. 2. de Confessione, Pezant. in 22. quaest. 70.

disp. un. in fine, & alii quorum sententiam probabiliter existimat Bonac. ad octauum Decalogi præceptum disp. 10. quæst. 3. pu. 2. num. 7. longè tamen probabilior est aliorum sententia, qui existimant etiam in casu suprarelato reum, quando à proprio iudice interrogatur secundum iuris ordinem; id est de crimine aliquo de quo præcessit infamia, aut de quo suppetunt indicia, aut semiplena probatio; teneri ad fatendum crimen, & verum manifestandum, etiam si ex eius confessione mors sequatur. Ita docet S. Th. 2. 2. quæst. 69. art. 1. & post illum plures alij, ac præsertim Tolet. lib. 5. cap. 58. Torres in 2. 2. disput. 50. dub. 2. Filliuc. tract. 40. num. 263. Becan. lib. 5. man. cap. 21. num. 4. Less. lib. 2. cap. 31. num. 12. & Laym tract. 6. de iudicijs cap. 5.

Secundum est, posse interdum talem causam suppetere ex qua licitum fiat, imò etiam necessarium non aperte profiteri veritatem; sed illam vel aliquibus verbis multiplici sensu vertibilibus, seu æquivocatione aliqua, vel restrictione aliqua mentali tegere, exemplum profert S. Th. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ad 2. & 3. de confessario, qui de peccato sibi in confessione declarato à iudice interrogaretur; asseritque posse illum etiam iuramento affirmare se nescire eius peccatum, cum hac restrictione [mental]i: quòd nesciat ut interrogantis subditus. Ita cum S. Doctore sentiunt Altissiod. lib. 3. lummæ tract. 18. quæst. 2. sub. finem, Dur. in 4. dist. 21. quæst. 4. num. 10. Palud. ibid. quæst. 3. art. 3. Maior ibid. quæst. 3. ad 9. Adr. in 4. tract. de confessione quæst. de confessione quæst. de confessore, Iohannes Medina cod. de poenit. tract. 2. qu. 25. qui omnes unanimiter idem asserunt id quòd ex S. Doctore suprà relatum est, & præterea Dom. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 2. concl. 7. docet testem, qui contra iuris ordinem interrogaretur de crimine, quòd secretò cognovit, posse absque mendacio respondere, & etiam iuramento affirmare se illud nescire, cum hac restrictione mentali, quòd nesciat, ut alteri contra iustitiam ordinem interroganti revelet: quòd etiam asserit, & fuisse probat Dom. Bannes in 2. 2. quæst. 69. art. 2. dub. 1.

Terti-

Tertium est, causa legitima & rationabili deficiente nemini unquam fas esse (ut docent suprâ citati auctores & alij Theologi communiter) verbis ambiguis aut æquivocis vel mentali restrictione interloquendum uti: aliàs usus, in quem instituta sunt verba, preverteretur; & omnis colloquiorum & sermonum certitudo; adeoque omne humanum commercium, & fructus civilis ac Christianæ societatis tolleretur; semperque inesset ratio suspicandi dolum aliquem in verbis latere, & ambiguitatem, & mentalem restrictionem subesse.

§. V.

De Reo.

TRIA præsertim circa obligationes rei quæri possunt. Primum est, utrum teneatur fateri veritatem, quando à iudice interrogatur. Responsio facilis est ex dictis parag. præc. si enim à iudice legitimo interrogetur secundum formam iuris, tenetur verum respondere: è contrâ si iudex legitimam non habeat potestatem, aut formam iuris non servet; id est si infamia non præcesserit de crimine de quo fit interrogatio, aut saltem illius criminis semiplena probatio, vel indicia sufficientia non suppetant; tunc respondere ad interrogata non tenetur: quod si à iudice cogatur (quod, tamen sine peccato facere non potest) nec ab illo per appellationis viam declinare possit; tunc poterit respondendo crimen occultare ac tegere eodem modo, quo præc. parag. explicatum est. Observat etiam Tol. l. §. c. 78. simili ratione reum non teneri ad complices suos revelandos, nisi illorum infamia aliqua præcesserit; id est nisi ex fama constet illum socios habuisse; vel quando crimen tale est, ut sine socijs non committatur: quod etiam docet Less.

Secundum est an licitum sit reo ad superiorem iudicem appellare. Responderet S. Doctor id ei licitum esse, si causam suam iustam esse confidat, vel se ab inferiori iudice

§. 5. grava-

gravatum esse arbitretur; illicitum verò, si appellatio fiat solum ad moram afferendam, ne vel iusta sententia feratur, vel si lata est, executioni mandetur, ut habetur cap. omnino 2. quæst. 6.

Tertium est, utrum reus condemnatus possit se per vim defendere, ne sententia in eum lata executioni mandetur. Responder S. Doctor id licitum non esse, si iuste condemnatus sit etiam ad mortem: licitum verò esse, si sit iniuste condemnatus; dummodo tamen nullum inde scandalum, neque gravis aliqua perturbatio in communitate timeatur. Addit S. Doctor illum, qui ad mortem iuste damnatus est, posse licite fugere, si occasio se offerat; dummodo nullam iudici, vel eius ministris vim in eorum personam inferat.

§. VI.

De Advocato & Procuratore.

SANCTVS Thomas 2. 2. q. 71. quatuor præsertim conditiones requirit in Advocato, quæ etiam servata debita proportione de procuratore intelligi debent.

Prima est, peritia, qua (ut dicit S. Doctor art. 2.) *possit convenienter assumpta causa iustitiam ostendere*: unde (ut dicitur Tol. 1. 5. c. 60.) si ex ignorantia in causa est, cur cliens causa alioquin iusta decidat, peccat, & damnum illatum refarcere tenetur: quod etiam similiter dicendum censet de eius negligentia.

Secunda conditio est, iustitia in exhibendo patrocinio: qui enim scienter iniustam causam defendit, absque debito graviter peccat (ut asserit S. Doctor art. 3.) teneturque ad restitutionem damni, quod pars adversa incurrit; nisi per clientem suum refarciatur. Quod si causa dubia sit, nec satis ex utraque parte iustitia dignoscatur, potest quidem eius patrocinium suscipere; dummodo paratus sit quam primum ab illo patrocinio abstinere, si in progressu litis eius iniustitiam deprehendat.

Tertia

Tertia conditio est, ab omni avaritiæ labe immunitas: quamvis enim (ut dixit S. Aug. ep. 54. ad Maced.) *Advocatus iustum patrociniûm, & iuris peritus verum consiliûm licitè vendere possit*; patrocini tamen vel consilii illius pretium moderate accipere debet, *Considerata* (ut loquitur S. Doct. art. 4.) *conditione personarum, negotiorum, laboris, & consuetudinû patriæ.*

Quarta denique conditio est charitas, qua tenetur advocatus pauperum causas suscipere illisque patrocinari, quando aliter ipsis subveniri non potest, eadem ratione, qua tenentur omnes necessitatem patienti, misericordiæ opus impendere, ut fusius explicat S. Doct. art. 1.

§. VII.

De iniuriis honoris, & fame per detractionem, & contumeliam.

HONORIS nomine intelligitur testificatio quædam exterior excellentiæ alterius; per famam verò significatur multorum existimatio de vita, moribus & actibus eiusdem, ut docet S. Th. qu. 72. & 73. unde per detractionem fama præsertim læditur; honor verò per contumeliam. detraçtio siquidem est alienæ famæ occulta & iniusta denigratio; contumelia verò addit novam iniuriam, qua non tantum fama sed etiam honor violatur; non enim occultè & in absentia, ut sit per detractionem, sed coram, & in præsentia honor per contumeliam cum quodam contemptu impetitur. Ex quo fit, ut, quamvis detraçtio sit in genere suo peccatum mortale & quidem gravissimum, (ut docet S. Th. q. 73. a. 2.) contumelia tamen sit peccatum adhuc illo gravius, quia magis lædit, & acerbiorum infert iniuriam.

Diximus detraçtionē esse iniustā famæ alienæ denigratiōē; quia nō erit detraçtio, si iuste fama aliena denigretur; v.g. si quis ex motivo iustitiæ vel charitatis alicuius crimē, & vel bono publico perniciosum est, vel alteri iniuriosum

& nō

& nocivum, superiori aut alicui alteri aperiat, qui remedium afferre potest: quòd si fama auferatur ex intentione nocendi, tunc illius ablatio ad detractionem pertinet.

Hæc autem intentio nocendi (ut observat Tol. sup. c. 64.) dupliciter in detrahente reperiri potest; uno modo directe, cum quis per detractionem re ipsa nocere intendat; altero modo indirecte, cum licet expressè id non intendat, ea tamen dicit, ex quibus nocumentum famæ alterius sequitur; ut qui ex ioco vel loquacitate alteri notabiliter detrahit.

Docet præterea S. Th. a. 1. ad 3. detractionem octo potissimum modis committi posse, nimirum quatuor modis directe & quatuor indirecte: Directe quidem 1. imponendo alteri falsum crimen; 2. crimen illius verum verbis adaugendo; 3. manifestando crimen verum, sed occultum; 4. malitiosè ac perperam alterius factum bonum interpretando: qui quartus modus (ut notat Less. li. 2. c. 11. dub. 2.) miatenus per illam pravam interpretationem fama proximi læditur in animo audientis, pertinet ad detractionem, se atenus verò concipitur in animo illius, qui sic malitiosè interpretatur, pertinet ad iudicium temerarium, de quo seq. paragra. agetur.

Indirecte autem committitur detraçtio 1. negando rectè facta aut egregias dotes alterius; 2. verbis extenuando; 3. reticendo bona alterius eo tempore & loco, quo silentium istud eius famæ nocere potest; 4. remisè ac frigide laudando.

Quovis autem modo committatur detraçtio, sive directe sive indirecte, sive ex intentione formali & expressa nocendi, sive alio quovis illicito motivo, censetur semper esse peccatum mortale, quoties quis deliberatè famam alterius lædit in re gravi; veniale autem, si tantum in re levi, ut docet S. Th. art. 2. Gravitas autem & levitas illa affimanda est, tum ex quantitate læsionis, quæ per detractionem fama alterius infertur; tum ex conditione personæ, cuius fama læditur; fieri si quidem potest (quod rectè observat Tol. c. 64.) ut manifestatio peccati alicuius respectu

perfor
nulla,
aut no
te dic
derit;
to imp
rum fa
similit
perfor
dubie
iuriam
Hin
simun
ctus n
ciunt;
ingen
illius
dient

PRI
ta a
Respe
pecca
apud
mere
(ut re
quoc
vam
iusm
nesta
retur
rius a
pitate

personæ unius censeatur infamia levis, imò interdum nulla, quæ respectu alterius gravem infamiam induceret, aut notabile scandalum secum invehere: e.g. qui de milite diceret; quòd ad duellum provocatus inimicum occiderit; de adolefcente dissoluto, quòd amore aliquo illicito implicitus sit; levem, imò propè nullam maculam illorum famæ inurere censeretur, cum tales ut plurimum de similibus rebus gloriantur: qui vero idem de Episcopo, aut persona aliqua Ecclesiastica, vel religiosa diceret, haud dubiè gravissimam eius famæ & maximè scandalosam injuriam irrogaret.

Hinc etiam colligitur, ut docet Less. c. 11. dub. 3.) ut plurimum non nisi venialiter peccare illos, qui aliorum defectus naturales occultos sive corporis sive animi patefaciunt; ut quòd aliquis sit gibbosus, quòd ignarus, exilis ingenii, &c. nisi forte inde (ut idem monet) grave aliquod illius damnum, aut notabilis contemptus in animis audientium, vel scandalum alterius oriretur.

§. VIII.

Solvuntur dubia quedam circa peccatum detractionis.

PRIMUM est an peccet mortaliter is, qui alterius peccata audita refert coram aliis, nihil tamen asseverando. Respondetur quòd, quamvis per se loquendo id non sit peccatum mortale, quando nulla inde infamia oritur, nec apud prudentes viros isto loquendi modo, qui nullam meretur fidem, alterius fama multum lædatur: si tamen (ut rectè observat Less. dub. 5.) crimen esset valdè grave, quòd in audientium animis suspicionem aliquam pravam ingeneraret, in illo casu peccaret mortiferè, qui huiusmodi crimen referret, præsertim de persona aliqua honesta, respectu cuius suspicio illa grave malum esse censeretur: quòd etiam similiter dicendum, si quis peccata alterius audita referat coram iis, quos probabile est ex sua levitate credituros.

Secun-

Secundum est, an peccet mortaliter is, qui peccatum proximi occultum uni aut alteri tantum manifestaret. Resp. quod quamvis Nau. c. 18. n. 33. existimet in tali casu non esse nisi peccatum veniale, si non subsit periculum evulgationis aut alterius incommodi; probabilior tamen & in praxi tutior esse eorum sententiam, qui asserunt talem manifestationem esse ut plurimum peccatum mortale: cum fieri possit (ut recte monet Less. dub. 11.) aliquem malle peccata sua multis externis & plebeis esse nota. quam praefero, vel alicui gravi viro, cum quo assidue versatur, vel à quo dependet.

Si tamen aliquis iniuriam sibi ab altero illatam amico aperiret, non quidem animo detrahendi aut nocendi, sed ut consilium vel consolationem aliquam acciperet; in illo casu idem Less. censet, non esse peccatum saltem mortiferum.

Tertium est, an liceat hominem diffamatum in uno loco, etiam diffamare; seu crimen illius manifestare in altero vel apud alios qui illud ignorant. Resp. ex Tol. supra cap. 67. id facere ex intentione nocendi, esse peccatum mortale, si gravis sit defamatio; seclusa verò eiusmodi prava intentione non esse peccatum, si quis alterum criminis notorietate aut publica iudicis sententia infamatum, in aliqua urbe manifestet aliis id in eadem urbe ignorantibus; nisi ob temporis diuturnitatem crimen illius iam oblivioni datum esset, aut vitæ emendatione bonam famam recuperasset: in aliis verò locis id ipsum notum facere, quòd fama communis illud brevi perlatura, idem Toletus neque iustitiæ neque charitati repugnare existimat; quòd si verisimiliter crederetur famam illius criminis illic nunquam, aut non nisi post longum tempus perenturam esse, existimat Lessius fore peccatū mortiferū crimen illud in tali loco divulgare, præsertim si is, qui illud crimen admisit, bonam famam illic consecutus fuisset; vel si ex illa diffamatione aliquod damnum, aut incommodum illi aut eius propinquis obveniret; secus verò si ille parum curaret se alibi infamari, quod sæpè fieri solet, præsertim si procul absit; aut si quis ob grave crimen fuisset

fuiſſet publice punitus: tunc enim ſæpe expedit iſta ad aliorum exemplum divulgari.

Quartum eſt; an licitum ſit aliquando quibuſdam decautiſ crimem alicuius occultum alteri detegere. Reſp. licitum eſſe, quoties id neceſſarium eſt ad impediendum notabile aliquod damnum alterius ſive corporale, ſive ſpirituale, quod aliâ via impedi non poteſt. Ita Sot. lib. 5. de iuſt. quaſt. 7. art. 1. Nau. cap. 18. nu. 31. Leſſius ſup. dub. 9. c. g. ſcis aliquem furtis addiſtum, & ſæpe in illis deprehenſum, monere poteſ eos quibuſcum habitat, ut ſibi caveant, &c. ſimiliter noviſti aliquem ſe gerentem pro medico, in illa tamen ſcientia valdè imperitum; poteſ monere eos, quibus ab eius imperitia periculum immineret; imo interdum non ſolum poteſ, ſed etiam ex charitate teneriſ alterius crimen occultum manifeſtare, ſi ex illo grave aliquod nocumentum publicum, aut etiam particulare immineat, quod cenſeatur præponderare damno, quod iſ qui illud commiſit in fama vel honore patietur. indubio autem utrum præponderet, inclinandum eſt potiùſ in favorem innocentis; e. g. ſi quis aliqua hæreſi occulta laboreſ, ſitque periculum ne alioſ inſiciat,

Quintum, an ſit peccatum mortale infamare ſeipſum, Reſp. quòd, quamvis, per ſe loquendo hæc infamatio ſui non ſit peccatum mortale; cum (ut rectè probat Leſſ. dub. 6.) neque ſit contra iuſtitiam, (homo ſiquidem eſt dominuſ ſuæ famæ) nec illam ſicut alia bona diſſipando ulli faciat iniuriam; neque etiam contra charitatem, quæ non obligat ad bona exteriora comparanda vel conſervanda, niſi quatenus neceſſaria ſunt ad bona ſpiritualia vel noſtra vel proximorum: ſi tamen ex infamatione illa ſui ipſiuſ, ſequeretur aliquod ſcandalum, aut aliorum nocumentum, ut in perſoniſ, quorum bona fama ad aliorum ſalutem neceſſaria eſt, v. g. Episcopis. Paſtoribuſ, &c. tunc infamatio illa eſſet peccatum mortale, ut docet idem author ſupra.

Sextum deniq; eſt, utrum audiens detractorem, peccet, Reſp. ex mente S. Doctoriſ q. 73. a. 4. peccare, quoties conſentit detractiõni, iuxta illud Ro. 1. *Digni ſunt morte, & non ſolum*

Solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt faciunt.

Potest autem quis dupliciter detractioni consentire (ut observat Tol. sup. 67.) Directè scilicet vel indirectè. Directè consentit, qui vel alterum inducit ad detrahendum, vel illius detractione delectatur: & is non minus peccat, quam detractor; de eoq; intelligi debet illud dictum S. Bernardi: *Detrahere, aut detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Indirectè autem consentit detractori, qui, licet nec ad illam inducat, nec ea delectetur; illam tamen non prohibet, nec detrahenti resistit, cum possit & debeat: & si quidem detraçtio sit notabilis, & in materia gravi, possitq; facile illam impedire, mortaliter peccat; cui charitas obliget, ut grave damnum proximi, si commode possimus, impediamus: venialiter verò, si detraçtio sit levis, aut si præ nimia verecundia, vel animi pusillanimitate resistere detrahenti non audeat; nisi fortè infamia esset valde atrox, vel gravia incommoda putaretur illatura: tunc enim deberet sibi vim facere, & excussa verecundia modestè contradicere. Nullo autem modo peccat, qui detrahentem non arguit, eò quòd probabiliter existimat monitionem suam nihil profuturam; imò potius obfuturam, si detractor occasionem ex ea sumat magis ac magis oblationem suam asseverandi. Item non peccat, qui rationabili aliqua verecundia præpeditur, ut si famulus domino, vel filius patri detrahenti non resistat, quando se nihil profuturum existimat.

Observat tamen rectè Tol. Cap. 67. longè strictius obligari Superiores respectu inferiorum ad prohibendas detractiones, sicut & alia quæcunq; peccata; proindeq; verecundiam, ac pusillanimitatem illos a peccato mortali minime excusare, si graviter detrahenti non resistant, quando id profuturum arbitrantur; imò quamvis detrahenti nihil id prodesset, si alios silentio suo scandalizandos esse advertant.

Admonet autem S. Doctor art. 4. ad 2. detrahentem corripipi posse, non solum arguendo, sed etiam signis quibusdam

dam exterioribus, ut tristitia faciei, ostendendo sibi displicere detractionem juxta dictum Sapientis *Prov. 25. ventus Aquilo dissipat pluviam, & facies tristes linguam detrahentem* vel discedendo, vel sermonem alio divertendo.

§. IX.

De Iudicio temerario.

QUONIAM (ut rectè observat Nav, Cap. 18 nu. mendacia, detractiones aliarq; hujus octavi præcepti transgressiones ut plurimum à iudiciis temerariis proficiscuntur, magnamq; cum illis habent culpæ affinitatem: ideo de ijs breviter hic agendum est.

Iudicium autem hic sumimus, non prout significat actum proprium iudicis, quo sibi subditis jus dicit; sed prout denotat actum intellectus, quo quilibet particularis de altero apud se aliquid cogitat, & definit, seu statuit: & eo sensu tres veluti gradus distinguere possumus de iudicio, quod quis de aliquo concipit. Primus est, quo quis de alterius malo dubitat neutram in partem inclinando. Secundus est, cum suspicatur inesse malum, & cum aliquo debili assensu ita esse existimat, cum formidine tamen oppositi. Tertius est, quando cum pleno assensu & firma animi sententia ita esse iudicat.

Hac observatione supposita, certum est in primis dubitare, suspicari, vel iudicare de proximo, esse quid indifferens in genere moris, ac bene vel male se habere posse: bene quidem, si fiat secundum regulam rectæ rationis: male autem, si à regula rectæ rationis aberret; unde Christus Dominus *8. Ioa 7. Nolite inquit, iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium indicite.*

Certum est 2. dubitare, suspicari, aut iudicare quidpiam mali de altero, quando causa sufficientes ad id suppetunt, non esse illicitum; ut communiter Theologi docent ac præsertim Azor. tom. 3. c. 11. dub. 3. Valent. disp. 5. quæst. 4. de iudicio pu. 3. Laym. lib. 3. de iustitia tract. 3. part. 2. ca. 2. ubi

ubi tamen rectè monet maiores rationes, & clariora iudicia requiri ad suspicandum, quàm ad dubitandum, & ad iudicandum, quàm ad suspicandum.

Quæres quænam, causæ & rationes ad rectè dubitandum, vel suspicandum, vel dubitandum de malo alterius sufficientes esse censeantur. Resp. nullam certam regulam afferri posse, rectè docet Sot. lib. 3. de iustitia quæst. 4. a. 1. & post illum Valentia suprâ pu. 3. sed id iudicium viri prudentis esse definiendū, considerata conditione rei, qualitate personæ, alijsque circumstantijs: quæ omnia, cum interdum sint valdè perplexa & involuta, idè rectè moralis Laym. interdum euenire posse, ut quis decipiatur exitians sufficientes sibi ad esse dubitandi, suspicandi, & iudicandi rationes, quæ tamen reipsa tales non sunt; præsertim quando ex cognitione operum externorum iudicatur de intentionibus alijsque actibus internis, unde rectè concludit longè tutius esse animum eiusmodi iudicij, &c. cohibere, Deoque omnia dijudicanda relinquere, nisi fortè necessitas aliqua, vel utilitas propria, vel aliena nos ad id obliget; & tunc rationis ac prudentiæ partes erunt expendere, quantum exteriores apparentiæ habeant probabilitatis; animumque cohibere, ne ultra iustitiam, aut charitatis metas progrediatur.

Certum est 3. iudicium temerarium, seu illud quod advertenter ac deliberatè iudicatur aliquid mali de altero levibus & insufficientibus rationibus ac indicijs, esse peccatum mortale; si malum illud grave sit, eiusque fama notabiliter lædat. Ita S. Th. q. 60. a. 3. & illud est iudicium quod Christus Dominus prohibuit his verbis S. Mat. 7. & S. Luc 6. *Nolite iudicare, ut non iudicemini*, ut exponit August. libr. 2. de serm. Domini in monte cap. 18. & S. Bas. in regulis Brevioribus reg. 164. aliàs si malū sit leve, nec proximi famam multū lædat, non erit nisi veniale.

Cum hæc certa sint, & in confesso apud omnes, unum est de quo non convenit inter Theologos; scilicet quale peccatum sit ex levibus indicijs, & causis suspicari aliquid mali de proximo, ut plerumque solet euenire. Tres sunt

super
eione
pecca
da est
titur
mort
cjs.
qui p
Aug.
Ad h
eitur:
homin
tias c
uni p
non
posse
qual
Eccl
quib
tu al
lib. 3
tiam
cion
& e
nen
quo
tan
qu
illa
por
ten
ori
tia
no
pic
ma
bu

super hac quæstione sententiæ, Prima est omnem suspitionem temerariam de gravi aliquo proximi malo esse peccatum mortale. Ita Bannes ad quæst. 60, art. 3. Secunda est, suspitionem illam, quæ debili tantum assensu nititur cum formidine oppositi, nunquam esse peccatum mortale. Ita Caiet. in hunc art. 3. Nau. in rubrica de iudicijs, & Lud. Mar. tract. de iust. & iure disp. 9. lect. 1. & 2. qui pro hac sententiâ citat S. Doctorem cit. art. 3. & S. Aug. tract. 99. in S. Ioan. ubi dicit genus istud suspitionis *Ad humanam tentationem pertinere, sine qua vita ista non ducitur: concluditque si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; iudicia tamen, id est definitivas firmasque sententias continere debemus* Tertia denique sententiâ quæ omnium probabilissima videtur, est, suspitionem temerariam non esse plerumque nisi peccatum veniale; fieri tamen posse interdum ratione gravitatis materiæ respectivè ad quasdam personas; ut si mortale; v. g. si quis prælatum Ecclesiasticum doctrinâ & pietate conspicuum ex levibus quibusdam indicijs suspicetur esse hæreticum, aut peccatū aliquod nefandum, aut scandalosum comisisse. Ita Sot. lib. 3. quæst. 4. art. 3. & Less. sup. dub. 3. ubi hanc sententiâ fuse probat, præmissa tamen distinctione inter suspitionem illam, quæ oritur ex errore quodam intellectus, & eam quæ ex pravo affectu voluntatis, dicitque suspitionem illam esse tantum peccatū veniale, quæ procedit ex quodam errore intellectus, quo quis apprehendit indicia tanquam sufficientia ad suspicandum de proximo aliquo malo, negligitque perspicere, & examinare num illa sint sufficientia; est tamen paratus ad suspitionem deponendam, si adverteret causam illius non esse sufficientem: suspitionem verò illam esse peccatum mortale, quæ oritur ex pravo quodam affectu voluntatis, & malevolentia erga alterum, quæ fit ut, etiamsi advertat indicia illa non esse sufficientia, velit nihilominus pergere in sua suspitione, quæ est de gravi aliquo proximi malo, quod in maximam illius vergit infamiam.

Optime S. Aug. supra. cap. 18. *Duo sunt, inquit, in quibus temerarium iudicium cavere debemus: cum incertū est, quo*
ani-

animo quid factum fuerit; vel cum incertum est, qualis futurus sit, qui nunc bonus vel malus apparet. si ergo quispiam v. g. co-
 questus de stomacho ieiunare noluit; & tu non credens, id edaci-
 tatis vitio tribueris; temerè iudicabis. Item si manifestam edaci-
 tatem ebriositatemq; cognoveris, & ita reprehenderis quasi non
 quam ille possit corrigi atq; mutari; nihilominus temere iudica-
 bis. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus quo animo sunt;
 neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sa-
 nitatem; vitabimus iudicium de quo nunc dicitur. nolite iudica-
 re, ne iudicetur de vobis.

Quæres utrum ea de quibus dubiū est quò animo fiant
 in meliorem partem sint interpretanda. Resp. ex hypothe-
 si, quod æqualia sint utrinq; indicia, si iudicium de proxi-
 mo ferre velimus, tunc in partem meliorem seu benignio-
 rem esse ferendum: quia (ut docet S. Tho. art. 4. ad 1.) me-
 lius est in dubio frequenter falli benè opinando de proxi-
 mo, quàm malè opinando semel decipi.

Monet tamen rectè Less. c. 29. dub. 4. quando agitur de
 vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio, tutius
 esse dubia in deteriolem partem interpretari; non quidem
 existimando proximum, v. g. esse furem, vel improbum, vel
 pro tali habendum esse; sed iudicando ita exteriùs cavend-
 dum esse, & sibi vel alteri consulendum, ac si dubia esset
 ipsius proximi probitas. Ita S. Thomas art. 4. ad 3. & ha-
 ratione, dum accipimus personam ignotam in ædes, pos-
 sumus licitè rebus nostris ita cavere, ac si dubia esset eius
 probitas, quamvis nullomodò improbam illam iudice-
 mus: sic etiã superiores quamvis quoad internum affe-
 ctum erga subditos dubia in meliorem partem interpre-
 tari debeant; ad præcavendum tamen malum, & discipli-
 nam observandam, ita se gerere possunt, ac
 si de illorum probitate
 dubitarent.

* *
 *

§. X.

Quot modis peccetur in octavum hoc Decalogi præceptum.

PECCANT in primis contra octavum hoc Decalogi præceptum, qui deliberate mendacium aliquod proferunt; quod quidem erit mortale, si honori divino aut proximi bono sit perniciosum: peccant etiam qui per hypocrisim vitæ sanctimoniam fingunt, quod peccatum adhuc gravius erit, si ex illo sequatur aliquod proximi damnum, ut si id fiat ad disseminandos errores. Item qui habitu aut vestibus mentiuntur sexum; ut si fœmina veste virili, aut vir fœminea induatur, si id fiat propter aliquem prævium finem; aut ex eo peccati alicuius aut scandali periculum imminet.

Peccant, qui sine legitima autoritate iudicis sibi officium arrogent, aut illud ambiunt, quamvis legum ac iuris ignari. Item iudices, qui notitiam illam iuris & legum conservare negligunt: qui de causa aliqua ad se non pertinente iudicialiter cognoscere, & sententiam ferre præsumunt. Qui contra allegata & probata, aut contra leges & iura iudicant: qui formam à iure præscriptam in iudicando non servant: qui sine ulla præcedenti infamia, aut aliis sufficientibus indicis, de occulto alicuius crimine iudicialiter inquirunt, reum indebitè interrogant, & ad respondendum cogunt: qui favore, vel respectu aliquo humano, aut alio quovis pravo affectu à recto iustitiæ tramite deflectunt, sive iniustam ferendo sententiam; sive causarum expeditionem notabiliter differendo, aut aliquid aliud iustitiæ contrarium faciendo, aut fieri permittendo: qui pro sententia ferenda, aliisq; actibus iudicialibus aliquid exigunt ultra id, quod pro iusto & honesto stipendio ex lege vel legitima consuetudine accipere licitum est.

Peccant qui crimen aliquod bono communi perniciosum non denunciant, quando commodè id possunt: qui contra alterum litem intentant ex odio, vindictæ appetitu, aut

quovis pravo affectu : qui fraude, aut iniusto aliquo processu in litibus utuntur.

Peccant qui ad testimonium ferendum citati, & à legitimo iudice secundum iuris ordinem interrogati aliquando falsum aut ambiguum, & contra ipsius iudicis mentem respondent: quod & similiter de ipsius accusatis & reistelligi debet; qui etiam præterea peccant; quando iudicem legitime aliquid statuenti, aut iustitiæ ministris illius iustitia exequentibus resistunt, aut vim aliquam inferunt,

Peccant etiam contra hoc præceptum qui alterius honori contumeliam irrogant; in eum verba probrola & iniuriosa proferunt, eidem peccata occulta palam exponunt; aut alia quavis cum irrisione, & contemptu obijciunt.

Peccant qui alterius famam secretò detrahunt; illi crimen aliquod falsum imponunt; aut verum malitiosè adaugent; aut eius peccatum occultum manifestant, vel rectè factum perperam interpretantur. Item qui rectè facta alterius inficiantur, vel eadem extenuant, aut de illis silent, vel ea frigide, ac simulatè laudant; cum ex silentio illo, & frigida seu simulata laude sequitur aliquod in proximo famæ dispendium.

Item qui alterum ad detrahendum alliciunt, aut illius detractione delectantur; vel qui cum possint & debeant detractionem non impediunt: qui susurrationibus causant discordias: qui libellos diffamatorios scribunt, aut in vulgus spargunt; illos pravo animo legunt, asservant, aut aliis legendos tradunt.

Peccant denique qui deliberatè ac temerè aliquid male de proximo iudicant vel suspicantur: qui actiones illius honestas vel indifferentes malè interpretantur.

§. XI.

De restitutione ob huius octavi præcepti violationem faciendâ.

DUPLEX restitutio occurrere potest ob huius præcepti violationem faciendâ, pro duplici damno famæ seu hono-

honoris ac bonorum fortunæ quod ex ea oriri potest: de utraque breviter aliquid dicendum est.

Atque in primis quod spectat ad restitutionem bonorum fortunæ, certum est ex iis, quæ præced. sect. dicta sunt, ratione mendacii, aut contumeliæ, vel detractiois incumbere obligationem restituendi, quoties per illud mendacium, aut contumeliæ illam, seu detractioem damni alicuius causa iniuste data est, aliquo ex modis sect. præced. explicatis.

Constat præterea iudicem, qui sive in ferenda sententia, sive in toto iudiciali processu iniustitiam aliquam commisit, unde secutum est damnum innocentis, ad illius compensationem obligari: similiter & illum, qui falso alterum accusarit, aut qui falsum testimonium in iudicio detulit, ad resarciendam damna inde secuta teneri.

Quod verò spectat ad restitutionem famæ, & honoris, certum est (ut ex communi Theologorum doctrina docet Scot. lib. 4. de iust. qu. 6. a. 3. in resp. ad 4. & post illum Valent. disp. 5. quæ. 6. de restit. pu. 5.) famam ablata restitui debere, si tres concurrant conditiones: prima est, ut fama ipsa ablata fuerit: secunda, ut iniuste ablata fuerit: tertia, ut non fuerit recuperata. His tribus conditionibus concurrentibus.

Dicendum 1. eum qui alterum infamavit asserendo aliquid falsum de illo, ad famam illi restituendam obligari affirmando se dixisse falsum. Ita S. Doctor q. 62. a. 2. ad 2. & post illum Scot. Rich. Caiet. Sot. Nau. & alij apud Valentiam supra, qui tamen id ita esse intelligendum existimant, si alia ratione famam alterius à se iniuste læsam sufficienter reparare non possit.

Dicendum 2. illum, qui alterum diffamavit circumiens verum quidem sed occultum patefaciendo, ad famam illius restituendam obligari. non quidem dicendo se falsum dixisse; id enim esset mendacium quod (ut ex antè dictis constat) nunquam licitum est; sed aliqua alia ratione, nimirum vel dicendo se malè & inconsideratè locutum fuisse, ut monet S. Doct. in resp. ad 4. vel se antea quidem
existi-

existimasse id esse verum, sed postea comperisse perpetrare à se id esse dictum, ut cenfer Ioan. Major in 4. dist. 15. q. 16. vel si timeatur, ne apud personas eruditas, aut perspicacis ingenij similes loquendi modi opinionem de crimine proximi conceptam potius confirmet, quam et animis eorum deleant, Sor. & Nau. apud Valentiam existimant tacendum esse de illo crimine; illumque, qui famam detrimentum passus est, quacunq; data occasione de alijs rebus commendandum esse; ut sic quædam interiora compensatio fiat. Addit Valentia posse etiam eum, qui verum dicendo alterum infamavit, uti aliqua verbi ambiguitate aut mentali restrictione ad retractandum id quod à se dictum est: quod tamen ultimum remedium non est alijs deficientibus, & in gravi aliqua famæ reparanda necessitate cum maxima cautela videtur esse adhibendum.

Dicendum 3. illum etiam, qui crimen alterius occultum ab alio auditum refert, obligari ad reparationem famæ; si advertat hoc suum dictum in alijs (ut sæpe fit) inistram de proximo ingenerasse opinionem: quod prædicere poterit, sive adhibendo aliquod ex medijs supra dictis, sive ostendendo, & quantum poterit alijs persuadendo, quam incerta sint, & plerumque falsa, quæ de alijs palam audiuntur & referuntur. Ita Sor. Nau. & alij apud eundem Valent. supra. Ratio est, quia quotiescunque damnum famæ proximi iniuste illatum est, toties incurrit illius sarcienti obligatio: atqui hic ut supponimus tantum illatum est: ergo sarcendum est.

Sunt tamen aliqua causa ab illa restitutione famæ communiter excusantes eum, qui alterum infamavit. Prima est, si is, qui infamatus est, illi, à quo infamatus est, restitutionem famæ condonavit; nisi forte talis sit, qui condonare non debeat, quales sunt persona illæ, quarum fama bono publico necessaria; quam proinde negligere non debent, nec illius reparationem leviter condonare. Secunda, si id quod contra famam alterius oblocutus est, in oblivione abiisse prudenter existimerat. Tertia, si ex eius oblocutione nulla infamia secuta sit.

fit: puta quia illi, quibus crimen occultum patefecit, iam illud noverant, aut nullam fidem eius dictis adhibuerunt. Quarta, si fama quæ ablata est, per aliam viam sit recuperata. Quinta si famæ illius restitutio fiat moraliter impossibilis. Sexta denique, si non possit fieri sine amissione famæ, quæ sit longè maioris momenti; ut si prælatus aliquis, vel vir valdè illustris infamarit plebeium, non tenetur cū notabili iactura honoris sui famam illam resarcire; sed sufficit, ut id faciat eo meliori modo, quo sine præpria famæ iactura id poterit; v.g. laudando illum eo genere virtutis in quo infamavit, aut alia ratione secundum iudicium viri prudentis. Ita Sot. Cord. Tolet. & alii apud Less. Lib. 2. c. 11. dub. 26.

Quæres, utrum in eo casu in quo fama restitui non potest, debeat pecunia compensari. Resp. probabile esse id, quod asserunt quidam Doctores, quos citat & sequitur Valentia Sup. nempe id fieri posse, ac proinde faciendum. Probabilius tamen esse id, quod Nav. Sylv. & alii quos citat & quibus subscribit Less. Dub. 16. docent; nullo scilicet pecuniæ pretio famam dignè compensari posse, iuxta illud Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ;* cum sit bonum superioris ordinis, nec proinde ad illam compensationem faciendam ullum obligari.

Quod autem de restitutione famæ, idem quoque de honoris læsæ compensatione intelligi debet, quoties quis aliquam contumeliam in alium protulit, aut quocunque alio modo honorem illius iniuste læsit: tunc enim illum reparare, & personæ læsæ satisfacere debet, vel ab ea petendo veniam, aut aliquid simile faciendo, quod iudicio viri prudentis honoris illius compensationi satis esse possit.

* *
* *